

De particula *sin* scripsit Kämmerer.

Pars altera.*)

Ad eos locos nunc accedimus, in quibus licet vix interpretando efficiamus illam particularum si et sin inter se oppositionem, tamen bipartitam esse sententiae rationem demonstrare possumus. Et horum quidem locorum eos, qui comprehendere definitione aliqua poterunt, conjunctos nunc tractabimus; si quos hac ratione complecti non poterimus, eos tertiae parti relinquemus.

Saepius in his exemplis usu venire videmus, ut aliqua sententia, aut spes, aut opinio, aut praeceptum, aut lex, aut iudicium, aut res experientia cognita, aut excusatio, aut aliquid optatum, aut consilium captum, aut desperatio, aut tempus in universum pronuntietur, et tum singulare aliquid excipitur, aut alicujus hominis contradicentis verba (sive vera sive ficta) aut refellantur aut comprobentur. Potest etiam is, qui aliquid dixit, ipse tum rem contrariam proferre et, quid inde efficiatur aut quid consequatur, considerare. Denique toti opponi pars potest. Breviter ut dicam, quod in priore quasi sententiae membro edictum est, id in altero aut ex parte excipitur, aut totum negatur. Sed exemplis hanc rem explicemus.

De oratore III, 24, 95. „Patitur enim lingua nostra et natura rerum veterem illam „excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt; sin „quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteposendi.“

Opponitur hic id, quod usu cognitum est, ei, quod fieri tempore futuro possit. Quod igitur omni tempore observatum est et nunc quoque observatur, verbis qui adhuc nostri nulli fuerunt continetur; possit etiam futuro tempore idem fieri; sed quoniam omnia futura incerta sunt, exceptioni locus est relinquendus, quae exceptio inest in verbis sin quando exstiterint.

or. Phil. I, 15, 37. „Equidem is sum, qui istos plausus, cum a popularibus civibus „tribuerentur, semper contempserim; idemque cum a summis, mediis, infimis, cum denique ab

1859.

*) Cum ante hos sex annos superiorem opusculi nostri partem in lucem proferremus, ut gymnasii aerario, pecunia non ita affluenti, parceremus, in medio fere opusculo insistendum nobis fuit. Addimus nunc ea, quae supersunt, qualia tum conscripsimus.

„universis hoc idem fit, cumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt: non „plausum illum, sed iudicium puto. Sin haec leviora vobis videntur, quae sunt „gravissima: num etiam hoc contemnitis, quod sensistis etc.“

Cicero sententiam suam dicit de plausu ab omnibus populi ordinibus civi cuidam tributo et iudicium hoc sibi videri fatetur. Huic sententiae suae eorum, qui audiunt, opinionem contrariam esse fingit eamque refutare studet.

Simile exemplum est *ep. ad Att. V*, 8, 3. „Philotimū — ne sit invito Milone in „bonis. Nihil nobis fuerit tanti. Sin haec leviora sunt, tu iudicabis.“

Optat Cicero, ut ille bona relinquat, et hoc fieri sua multum interesse confirmat. Sed si contrarium sit Attici de hac re iudicium, rem iudicare huic relinquit.

act. II. in Verr. II, 18, 44. „Profecto enim negare non potes te ex lege Rupilia „sortiri iudicium debuisse, cum praesertim Heraclius id postulare. Sin illud dices te Heraclii voluntate ab lege recessisse: ipse te impedies, ipse tu tua defensione implicabere.“

Non satisfacisse te legi constat. Sin excusatione uteris, te implicas. Cicero adversarium ei rei, quam protulit, contradicentem fingit.

de invent. II, 25, 74. „Atque hoc quidem plerumque in hoc genere accidit, ut et „conjectura et definitione utendum sit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet etc.“

Rei, quae plerumque fit, singulare aliquid opponitur.

Sic *de orat. II*, 4, 16. spei certae opponitur: sin tibi id minus libebit.

ibid. 44, 186. a re optabili in universum constituta contrarium aliquid vel incertum excipitur.

orator 66, 222. res usitata enuntiatur, opponitur exceptio in loquentis arbitrio posita.

ep. ad Brut. I, 10 fin. „Velim deinceps meliora sint; sin aliter fuerit etc.“

de lege agrar. II, 11, 28. Iis, quae lex fieri jubet, opponitur: sin is ferre (legem curiam) non possit etc.

ep. ad fam. II, 10, 4. Imperativo fieri aliquid iubenti respondet: sin id erit spissius etc.

ib. III, 11, 4. Cicero genus illud querelarum dicit sibi visum esse ab amicitia non abhorre; pergit: sin tibi displicet etc.

ib. V, 19, 2. Rei in universum dictae res singularis opponitur.

ib. VII, 19. Cicero se librum scripsisse affirmat, quam planissime potuerit. Addit: Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora etc.

ib. XI, 18, 3. Fractum et abjectum vult esse Antonium; sin aliquid virium forte collegerit, hoc ei non fore emolumento.

ib. XIV, 5, 2. Quid facere Terentiam velit, praescribit; sin Roma jam profecta sit, tamen idem eam curare jubet.

ep. ad Qu. fr. II, 15, b, 2. „Haec me, ut confidam, faciunt. Sin aliquis erumpet „amentis hominis furor, omnia sunt ad eum frangendum expedita.“

ib. VII, 7, 4. Nisi senatus decreverit populusque jusserit me imperium in Sicilia habere: non habebo. Sin hoc respublica ad Pompejum defert: nolim me potius, quam alium mitti.

ib. 17, 4. dum spes pacis erit — sin bellum geretur —

ib. 26, 2. quoad de pace ageretur — sin bellum erit —

ib. IX, 7, 3. Cicero exponit, quid impetrare a Caesare studeat — sin id non impetret etc.

ib. XII, 7, 2. „Ita cogito, simulac redierit. Sin ille tardius (redierit), ego tamen „triduum (expectabo).“

Simulac pertinet ad id tempus, quod Cicero ibi manere constituit. Sin ille post hoc tempus redeat, triduum praeterea illum vult expectare.

ib. XIII, 22, 4. „Ego, ut constitui, adero; atque utinam tu quoque eodem die (sc. adsis)!“ Sin quid (sc. te retinuerit) — multa enim (sc. retinere te possunt) — utique postridie (sc. adsis).

ib. XV, 18, 2. Comparandus est hic locus cum V, 8, 3 (quem locum supra tractavimus). Cicero tutus sibi non videtur. Sin aliter sentiat Atticus, scribere eum ad se jubet.

Acad. pr. II, 19, 63. „De causa autem ipsa malim quidem te ab hoc dissentire. Sin „cesseris, non magno opere mirabor.“

Plinius sic sententiae partes sibi opponuntur: Malim quidem de hac re tuam te sententiam retinere neque ab hoc tibi persuaderi, ut ejus sequere disciplinam. Sin cesseris (i. e. si tamen sententiam mutaveris), ejus oratione commotus, ego, qui idem ejus orationem audivi, non magno opere mirabor.

de fin. III, 12, 40. Cato laudatur, quod *naviav* Latine vitium appellavit, non malitiam. Sin *naviav* malitiam dixisset, non recte eum dicturum fuisse, quod hoc vocabulum ad certum aliquod vitium pertineret.

Tusc. disp. I, 49, 118 sq. Cicero optat, ut in portum illum hominibus morte paratum velis passis perveni sibi liceat. Sin reflantibus ventis rejiciatur, id sibi non esse emolumento, quod paullo tardius necesse sit eodem referatur.

ib. III, 6, 12. Optat, ne aegrotus sit, sin aegrotus sit, sensum pristinum vult retinere. (De particula sin absolute posita supra diximus.)

ib. V, 36, 105. Ephesii Hermodorum civitate expellentes sic locuti esse dicuntur:

„Nemo de nobis unus excellat; sin quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit.“

de rep. III, 3, 6. Toti pars opponitur. Totum est rerum magnarum tractatio atque usus cum doctrina et uberiore rerum cognitione conjunctus; pars aut rerum publicarum est tractatio aut artium literarumque studium.

Laelius 21, 78. In universum praecipitur, ne qua amicorum dissidia fiant; sin tale aliquid evenerit etc.

de off. I, 30, 106. Corporis voluptas hominis praestantia non digna et ob id contemnenda et rejicienda est; sin est quispiam, qui aliquid tribuat voluptati etc.

ib. 31, 114. In universum hoc observandum est, ut, quas ad res aptissimi simus, in iis potissimum laboremus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non erunt etc.

ib. II, 14, 50. Accusatione oratori non saepe utendum est. Sin erit, cui faciendum sit saepius etc.

ib. 21, 74. Multo ante providendum est, ne aerario exhausto ad bella gerenda tributum sit conferendum. Sin quae (alii: qua) necessitas hujus muneris alicui reipublicae ob-
venerit etc.

de orat. II, 20, 84. Sin pertinet ad verba non idem sentio. Sententia loci est: Fieri non posse sentio, ut orationis aequae singulas partes easque minutissimas persequamur, atque aliarum rerum. Sin autem qui arbitrantur (sc. posse fieri) etc.

pro Quintio 21, 66. Deprecationi, quae parte superiore continetur, respondent verba: Sin autem inimicissime et infestissime contendere perseveret, se paratum esse — defendere.

pro Rosc. Am. 20, 57. Cicero accusatores in suspitione latrare jubet. Id concedi posse. Sin autem sic agant, ut arguant aliquem patrem occidisse, neque dicere possint, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspitione latrent etc.

ep. ad fam. IV, 1, 2. Ego omnia jam desperavi. Sin autem tu facere aliquam spem mihi poteris, propius accedam.

Laelius 10, 34. Verbis una cum praetexta oppositum est: sin autem usque ad adolescentiam perduxissent. Pars prior aliquid continet, quod fieri solet; in altera parte agitur de exceptione.

Venimus ad eos locos, quos, cum communi definitione complecti non possimus, singulos tractabimus. In locis modo allatis breviores esse potuimus, quoniam tantummodo nostra interfuit, ut ad eos adhiberi illam definitionem posse doceremus; in his interdum copiosius dicendum erit, ut bipartitam rationem servatam esse demonstramus.

de invent. II, 57, 170. Supra definitur difficile, quod tamen perducere ad exitum possit; tum necessitudo, cui nulla vi possit resisti, quae neque mutari possit, neque leniri. Tum scriptor pergit: „Hujusmodi cum in dicendo rationes (Verhältniſſe) incident, recte necessitudines appellabuntur; sin aliquae res incident difficiles, in illa superiori, possintne fieri, quaestione considerabimus.“

Itaque necessitudo et difficile hic sibi opponuntur.

ib. 59, 177. „Laudes autem et vituperationes ex his locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante (§ 176) dictum est. Sin distributius tractare quis volet, partiat in animum et corpus et extraneas res licebit.“ (Haec deinceps accuratius definiuntur.)

Personarum igitur definitio cui latius patet, is partiri personas in tres partes potest. Opponitur simpliciori definitioni distributio.

ep. ad Att. V, 8, 1. „Tu si modo es Romae, — vix enim puto: — sin es, hoc vehementer animadvertas velim.“

Singularis est locus. Sin non pertinet ad si (quod ipsum est sine apodosi), sed ad vix. Nos sed si es expectaremus.

ep. ad fam. X, 20, 2. Usque ad harum literarum initium est redeundum, ut loci sententiam intelligamus, ubi haec fere sunt: Anxii sumus, nec prius respirabimus, quam a te ipso acceperimus, quod te sibi scripsisse mihi nuntiavit collega tuus, a Lepido non recipi Antonium. Pergit Cicero: „Sin, ut scripsisti ad collegam, ita se res habet, omni cura liberati

„sumus.“ Veram hanc esse oppositionem ex verbis efficere possumus proxime sequentibus:
 „nec tamen erimus prius, quam ita esse tu nos feceris certiores.“

ep. ad Att. II, 17, 3. „Tu tamen videris mihi Romae fore ad nostrum adventum,
 „quod sane facile patiar, si tuo commodo fieri possit. Sin, ut scribis, ita venies: velim e
 „Theophane expiscere, quonam in me animo sit Alabarches.“

Sin ferri tum demum potest, cum pertinet ad verba ad nostrum adventum, et
 verba ut scribis, ita Atticum in literis suis aliud veniendi tempus constituisse significant.
 Tum enim pars prior Ciceronis expectationem, altera pars contrarium continet. Ad
 si particula sin referri nequit.

ib. VI, 1, 2. In superioribus Cicero Appium dicit modo succensere sibi, modo gratias
 agere. Offendi hominem rationis dissimilitudine in provincia administranda, quod eam, quam
 ipse exhausserit, Cicero recreare studeat. Fieri autem hoc a se sine ulla Appii contumelia.
 His postea addit: „Haec nonnulli amici Appii ridicule interpretantur, qui me idcirco putent
 „bene audire velle, ut ille male audiat, et recte facere non meae laudis, sed illius contume-
 „liae causa. Sin Appius, ut Bruti literae, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit,
 „non moleste fero etc.“

Ridiculae amicorum Appii interpretationi Appius ipse opponitur.

ib. 3, 9. „Is (Hortensii filius, adolescens flagitiosus) mihi dixit se Athenis me exspecta-
 „turum, ut mecum decederet. — Nolo quidem (sc. eum mihi comitem esse), ne offendam pa-
 „trem, quem mehercule multum diligo. Sin fuerit meus comes etc.“

Ex verbis in parenthesi collocatis ratio sententiae bipartita apparet.

ib. VII, 1, 1. „Dederam — literas — ad te —. Sed, ut philosophi ambulant, has tibi
 „redditum iri putabam prius. Sin jam illas acceperisti, seīs me Athenas venisse pridie Idus
 „Octobres.“

Prius literas sero demum in manus tuas esse perventuras putabam. Apte his respon-
 det: Sin jam etc.

de fin. IV, 12, 29. Hunc locum ut intelligamus, inspicienda sunt, quae in superiore libro
 14, 45. Cato disputat Stoicorum doctrinam exponens: „Ut enim obscuratur et offunditur luce
 „solis lumen lucernae, et ut interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae, et ut in divitiis
 „Croesi teruncii accessio, et gradus unus in ea via, quae est hinc in Indiam: sic, cum sit is
 „bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum aestimatio splendore
 „virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat necesse est.“

Haec spectans Cicero antea de virtute, quae ad animum pertinet, tum de obscuracione
 rerum in corpore sitarum disputat et rufutare Catonis sententiam studet. Sin igitur transitum
 ad alteram partem indicat.

de invent. II, 30, 90. De criminis remotione sermo est. Exemplum profertur legatorum
 Rhodiorum, qui, quod a quaestoribus sumptus iis non datus est, profecti non sunt atque ob
 id accusantur. „Defensor — primum, cujus acciderit culpa, demonstrabit — Deinde in al-
 „terius culpa exponenda demonstrandum est, quantum voluntatis et studii fuerit in ipso etc.
 „cap. 30. Sin autem non in hominem certum, sed in rem aliquam causa demovebitur etc.“

Res superiori personae opponitur.

pro Rosc. Am. 47, 137. Sullae consilium, quatenus perspicui ex rebus gestis potest, partim excusatur, partim laudatur. Opponitur huic simulatum aliquod Sullae consilium, quasi ii, qui Sullae nomine abutentes cetera committunt, ipso Sulla iubente ita agant, ita tamen, ut vera Ciceronis sententia perspicui facile possit: „Sin autem id actum est, et id circo arma sumpta sunt, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur et in fortunas uniuscujusque impetum facerent, et id non modo re prohibere non licet, sed ne verbis quidem vituperare; tum vero in illo bello non recreatus neque restitutus, sed subactus oppressusque populus Romanus est.“

pro Plancio 4, 10. „In quo primum illud debes putare, comitiis, praesertim aediliciis, studium esse populi, non iudicium etc. Sin autem mavis esse iudicium, non tibi id rescindendum est, sed ferendum.

Cicero sententiae suae accusatoris sententiam, quae quidem esse possit, opponit.

ep. ad fam. XVI, 12, 5. „Nullum majus negotium suscipere volui, quo plus apud illum meae literae cohortationesque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum, video me castris et certis legionibus praefuturum.“

Cicero pacis servandae causa nihil se majus suscepisse dicit; opponitur bellum.

ep. ad Att. III, 15, 6. „Haec nisi vides expediri, quam in spem me vocas? Sin autem spei nihil est, quae est mihi vita?“

Sin autem etc. interrogationi respondet quam in spem me vocas? i. e. si qua spes est, velim eam mecum communices. Apte opponitur: sin autem spei nihil est etc.

Tractatis omnibus exemplis, quae huc referenda videbantur, restat, ut locum tractemus supra commemoratum, *ep. ad Att. X*, 8, 8, ubi logices praecepta non satis servata esse diximus. Fuit autem (ut breviores simus) sic fere scribendum: Spero vivis nobis fore, ut Caesar corruat. Quamquam nisi brevi tempore id fiet, frustra sperabimus; exigua enim nobis senibus superest vita. Sin quid acciderit maturius (i. e. sin brevi tempore id factum erit), tanti fere mihi erit id praevidisse, quanti videre.

IV.

Liberiorem usum sequentia duodeviginti tantum ex quingentorum numero inveni exempla, quae singula breviter attingam.

ad Her. I, 4, 6. Quatuor afferuntur causarum genera, quae singula tum enumerantur particulis si, sin, sin, sin.

ib. II, 3, 5. Tres defensori proponuntur conditiones: si, si non, sin; quibus quarta quaedam opponitur: sin nihil.

ib. 19, 30. Duae res commemorantur: si, si; his utraque conjuncta opponitur: sin.

ib. III, 15, 26. Pronuntiatio (11, 19 fin.) dividitur in vocis figuram (i. e. magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem) et corporis motum. In corporis motu eadem partes sequendae

sunt, in quas distributa est vox. (Hic respicienda est mollitudinis illa divisio in tres partes, quae iterum octo partes efficiunt:)

- si erit sermo cum dignitate —
- sin erit in demonstratione —
- sin erit in narratione sermo —
- sin in jocatione —
- si contendemus per continuationem —
- sin contentio fiet per distributionem —
- si (v. l. sin) utemur amplificatione per cohortationem —
- sin utemur amplificatione per conquestionem —

Hoc exemplum apud Ciceronem quidem inauditum est.

de invent. I, 17, 25. „Insinuatione utendum est, cum — animus auditoris infestus est. „Id autem tribus ex causis fit maxime, si aut — aut — aut —“ Triplici aut tum respondet si, sin, sin. Tertium sin his additamentum aliquod adjicit, ut sententia sit quadripartita.

ib. 44, 82. Argumentationis reprehendendae partes enumerantur: quod, quod, cum, sin.

Ejusdem generis est locus ad *Her. III, 14, 25.* Sermonis partes quatuor proferuntur ita, ut trium partium descriptio inchoetur particula cum, quartae particula sin.

de invent. II, 11, 35 sqq. „Defensor primum, si poterit, debeat — demonstrare — Sin „autem — turpitudines inerunt — Ac si nullo modo — poterit —“ Sententia sine ulla dubitatione est tripartita.

de orat. I, 15, 66 sq. Particulis si, sin, sin exempla afferuntur rerum, de quibus orator necesse est consulat alios homines, earum rerum peritos. Possunt autem his rebus aliae multae addi, ut ne divisio quidem in illa rerum enumeratione appareat. Similis locus est:

ib. 48, 210 sq. „Nam si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris — Sin autem „quaereretur, quis — Sin autem quaereretur, quisnam —“ Tum (cap. 49.) nova his adduntur exempla: si musicus, si grammaticus, si poeta etc.

ib. II, 20, 85. „Si — ad summos — Sin — ad mediocres — Sin plane abhorrebit etc.“

orator. partit. 34, 117. Cicero supra (32, 110) in conjectura — accusatori haec duo prima esse dicit: causam et eventum. Utraque re definita primum de causis disputatur, cap. 33. transitur ad eventum. Eventus appellantur „consequentia quaedam signa praeteriti et quasi „impressa facti vestigia, quae quidem vel maxime suspicionem movent etc.“ § 115. „Quae „si non erunt, tamen — (Clauditur haec pars:) „Atque haec quidem de argumentis. Sin „autem erit etiam testium facultas: primum genus erit ipsum laudandum — deinde singuli „laudentur — Atque etiam si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit — Sin quae- „stiones habitae, aut postulatio, ut habeantur, causam adjuvabunt etc.“ Sin autem pertinet ad signa consequentia, non ad si non. Magis perspicua fiet res hac descriptione:

1) signa consequentia sive eventus —

Quae si non erunt —

2) Sin autem erit etiam testium facultas —

Atque etiam si obscuri —

3) Sin quaestiones habitae —

ib. 39, 137. „Cum disceptatio versatur (§ 132.) in scriptis, sunt ambigui duobus „adversariis praecepta communia. (Tum complura de hac re exponuntur.) Cum autem aliud „scriptor sensisse videtur, aliud scripsisse — Sin scripta inter se dissentient — “ Exstat igitur tripartita haec divisio:

1) de ambiguo in scriptis universe disputatur.

2) cum autem aliud scriptor sensisse etc.

3) sin scripta inter se etc.

act. II. in Verr. III, 84, 195. Cicero ex Verre quaerit, quid pecunia a senatu accepta, quam pro singulis modiis aratoribus (Siciliae) solveret, facere debuerit? Idem respondet: „Si, quod L. Piso — — pecuniam, quae superaret, reluisses; si, ut ambitiosi homines — — „ex senatus aestimatione solvisses; sin, ut plerique faciunt — — frumento non empto, „pecuniam, cellae nomine concessam, sumpsisses.“ — Sententia est tripartita.

pro Plancio 5, 13. Cicero populum loquentem introducit: „Desiderarunt te (sc. Lateren- „sem) oculi mei — sitientem me virtutis tuae deseruisti ac dereliquisti. Coeperas enim „petere tribunatum — quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti, tanta in tempestate „te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi; si nolle (sc. te gubernare indicasti), „de voluntate. Sin, quod magis intelligo, temporibus te aliis reservasti etc. — Trium partium est sententia.

ep. ad fam. VI, 2, 2. Tres sunt partes: „si arma valebunt, — si, armis — positis aut „— abjectis aut — detractis, civitas respiraverit, — sin omnino interierint omnia etc.“

ib. VII, 14, 1. „Quod si scribere oblitus es, — si nostri oblitus es, — sin aestivorum „timor te debilitat etc.“ — In tres partes divisus est locus.

de nat. deor. III, 8, 21. „Sed cum mundo negas quidquam esse melius, quid dicis melius? „si pulchrius, — si aptius ad utilitates nostras, — sin autem id dicis, nihil esse mundo „sapientius etc.“ Possit quidem hoc exemplum quodam modo bipartitum videri, si primam et alteram partem, in quibus Cotta assentitur Balbo, jungamus, tertiam, cui se non assentiri dicit, illis oppositam esse judicemus; sed dubito, an in ipsis rebus maneat trium partium divisio.

V.

Extrema superest opusculi pars, in qua ea tractare exempla statui, quae aut conjectura, aut recipienda alia lectione indigere mihi sunt visa. Et novem quidem inveni hujusmodi locos, quos deinceps exponam.

ad Herenn. III, 3, 5. Supra leguntur haec: „Rectum est, quod cum virtute et officio fit. „Id dividitur in prudentiam, justitiam, fortitudinem, modestiam.“ Tum hae virtutes singulae tractantur: „Prudentiae partibus utemur, si — aut si — aut si — Justitiae partibus utemur, „si aut etc.“

Comprehendit deinde scriptor: „His atque huiusmodi partibus iustitiae si quam rem „in contione aut in concilio faciendam censebimus, justam esse ostendemus etc.“

Tum ad tertiam virtutem transit sic: „Sin fortitudinis retinendae causa faciendum „quid esse dicemus —“

Paullo post quarta pars sequitur: „Modestiae partibus utemur etc.“

Hoc loco particulae sin usus ita abhorret ab omnibus exemplis, quae tractavimus, ut mutatione opus esse videatur. Nusquam enim complurium partium paenultima tantum praeposita est particula, nullo si partibus ceteris addito. Quare si scribendum esse censeo.

ep. ad Att. XIV, 13, 4. „Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam? Caedis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod reipublicae defuerim tam gravi tempore. Sin autem mansero, fore me quidem video in discrimine, sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim reipublicae.“

Interrogatio illa a Ciceronis consuetudine abhorret; certe Coniunctivo opus esset. Magis tamen placet retinere Indicativum, praeposita particula si, quam Orellius in variis lectionibus notavit. Aptae hac mutatione facta utraque sententiae pars cohaeret, et prior pars alteri respondet.

Tusc. disp. III, 9, 19. Cap. 8. finitur his verbis: „aberit igitur a sapiente aegritudo.“ Quibus si, alia re nulla interposita, continuo annecteretur: „Sin autem caderet in sapientem „aegritudo, caderet etiam iracundia“ — non esset, quod reprehenderemus. Sed res aliter se habet. Sequitur illam capitis superioris clausulam argumentatio Dionysii, qua docetur irasci sapientem non posse. Et hac quidem re probata et confirmata, inde a verbis „Sin autem“ — argumentationis ordine immutato ex falsa consecutione efficitur falsam etiam esse propositionem. (Eadem argumentandi ratio est in fine § 21. inde a verbis „Quod si“ —, ubi iterum concluditur: „abest ergo a sapiente aegritudo.“) Quoniam igitur eadem agitur res, nec oppositio inest in verbis „Sin autem etc.“, non video, quid illud Sin sibi velit, et restituendam censeo priorem lectionem „Si“) autem.“

ib. V, 40, 117. „Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit; prematur etiam doloribus accerrimis corporis. Qui primum per se ipsi plerumque conficiunt „hominem: sin forte longinquitate producti, vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, „cur ferantur: quid est tandem, dii boni! quod laboremus? Portus enim praesto est, quoniam „mors [ibidem] est, aeternum nihil sentiendi receptaculum.“

Sin forte non habet, quo referamus. Verba „longinquitate producti“, si recte dictum est sin, aliquid requirunt, cui opponantur, ut longinquitas brevitati, producti dolores concretis s. magnis respondeant. (Conferendus est locus cap. 31. § 88. „magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate“ et de fin. II, 29, 94. „Quod autem magnum „dolorem brevem, longinquum levem dicitis“ —) Eodem etiam tamen spectat, ut ad producti supplendum sit quidem. Sed ejusmodi nihil video. Alia quaestio est, ferendumne

*) Si autem saepe exstat apud Ciceronem, velut de divin. II, 19, 44, 23, 51. de invent. I, 36, 63. ep. ad fam. III, 3, 5. act. II. in Verr. III, 98, 227. pro Tullio § 38.

sit sin forte, quod certe apud Ciceronem ita conjunctum non inveni*). Primo aspectu sin putavi in si mutandum esse; sed accuratius rem consideranti alius cujusdam medicinae in mentem venit. Excidisse arbitror inter verba hominem et sin unum versum a particula si incipientem et ea, quae desiderari supra dixi, continentem. Quod si recte vidi, non jam offendit illud primum, quod Lambino ita displicuit, ut dein si forte scribendum esse censeret; nam bipartita fit sententia.

Parad. VI, 1, 43. „Animus oportet tuus te judicet divitem, non hominum sermo, neque „possessiones tuae; nihil sibi deesse putet, nihil curet amplius. Satiatus est, aut contentus „etiam pecunia: concedo, dives es. Sin autem propter aviditatem pecuniae nullum quaestum „turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus; si quotidie fraudas, „poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spoliis, aerarium expilas; si testamenta amicorum „expectas, aut ne expectas quidem, atque ipse supponis: haec utrum abundantis, an egentis „signa sunt?“

Indicativus est (v. l. es) ita interpositus est inter Conjunctivos ex verbo oportet pendentes et particulam sin, ut congruere cum reliqua constructione non videatur; adjecto autem si, quod est in editione Huberiana, ut legatur: si satiatus est (malim es, quod et concinnius est et exstat in nonnullis codicibus), mirum in modum fluit oratio, et sin autem habet, quo referatur. In particula si, quae post sin ter adjecta est, non est, cur haereamus; saepius enim usu venit, ut ad id, quod post sin in universum dicitur, deinceps particula si**) aut exempla quaedam, aut aliud attributum addat rei accuratius et plenius describendae inserviens.

de nat. deor. II, 66, 164 sq. „Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam „singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet. Licet enim contrahere universi- „tatem generis humani eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. „(cap. 66.) Nam si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacunque in ora ac parte terra- „rum ab hujusce terrae, quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus „ob eas causas, quas ante diximus: his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras „ab oriente ad occidentem colunt. Sin autem iis consulunt, qui quasi quandam magnam „insulam incolunt, quam nos orbem terrae vocamus: etiam illis consulunt, qui partes ejus „insulae tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo et earum partes diligunt, ut Romam — „et — separatim — singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium etc.“

Hujus loci sententiam breviter comprehendere sic possumus: Dii non solum universo generi humano, sed etiam singulis hominibus consulunt. Demonstrare hoc possumus ab universis ad singulos gradatim transeuntes.

- 1) Si omnibus hominibus consulunt, etiam iis consulunt, qui hanc insulam incolunt, Europam et Asiam et Africam continentem.

*) ad fam. V, 16, 16. sin minus forte valuissent — et ib. XI, 18, 3. sin aliquid virium forte collegerit — utramque particulam habent, aliis vocabulis interpositis.

**) cf. de orat. III, 19, 70 sq. pro Rosc. Am. 3, 8. act. II. in Verr. IV, 37, 81. de lege agr. II, 23, 61. pro Sulla 8, 25. pro Scauro 2, 18. in Pis. 40, 97. or. Phil. I, 11, 27. Tusc. disp. II, 24, 57.

- 2) Si et Europae et Asiae et Africae incolis consulunt, etiam Europae (vel Asiae, vel Africae) incolis consulunt.

Jam vero longius procedi sic posset:

- 3) Si Europae incolis — etiam Italiae inc. cons.
 4) Si Italiae incolis — etiam Romae inc. cons.
 5) Si Romae incolis — etiam singulis Romanis consulunt.

Sed hae tres partes contrahuntur verbis: „Ergo et earum partes diligunt etc.“

Quoniam igitur ex singulis singularum argumentationum conclusionibus statim nova fit propositio, et post alteram argumentationem complures aliae addi ejusdem generis argumentationes possunt, nullam in altera illa parte video oppositionem, nec particulae *sin* usus cum ceteris exemplis congruit. Quae cum ita sint, pro *sin* autem scribendum esse censeo: si autem. (Hujus rationis dicendi exempla attuli brevi ante ad locum *Tusc. disp. III, 9, 19.*) Ei loco similis est:

ib. 18, 46. „Vide igitur, ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus, quod tu quoque, Balbe, visus es dicere. Quomodo autem potes, si Latonam deam putas, Hecatam non putare, quae matre Asteria est, sorore Latonae? an haec quoque dea est? vidimus enim ejus aras delubraque in Graecia; *sin* (Lamb. si) haec dea est, cur non Eumenides?“

Verba: „cur non Eumenides?“ (i. e. ergo etiam Eumenides) deinde iterum in propositionem transeunt: „quae si deae sunt“, et nova inde efficitur conclusio. Cum his concinunt, quae sequuntur: „quod si tales dii sunt — ea si dea est“ — In hac igitur argumentationis serie ineptum videtur *sin*, nec cum verbis „an haec quoque dea est“ cohaerere ullo modo potest, quod sane aliter se habet, si deleto *sin* Lambini lectionem si restituimus, ita tamen, ut pro *sin* scribamus et si.

de divin. II, 7, 18. „Si enim scit, certe illud eveniet; *sin* certe eveniet, nulla fortuna est; est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla praesensio est.“

Convenit hoc exemplum cum duobus superioribus. Verba *sin* certe eveniet praecedentibus non sunt opposita; sed est sententia progrediens et quod modo effectum est, recipiens, ut novum aliquid inde efficiatur. Ob hanc rem restituendum esse censeo Lambinianum si.

de off. III, 13, 55. „Quod si, qui proscribunt VILLAM BONAM BENEQUE AEDIFICATAM, non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est nec aedificata ratione; multo minus, qui domum non laudant. Ubi enim iudicium emptoris est, ibi fraus venditoris quae potest esse? *Sin* autem dictum non omne praestandum est: quod dictum non est, id praestandum putas?“

Sententia hujus loci est haec: Quaeritur, isne improbe faciat, qui aedes pestilentes et ruinosas emptori illud nescienti multo pluris vendat, quam vendidisset, si cum emptore illa aedium vitia communicasset. Negat Diogenes, quoniam is, qui ne hortetur quidem illum, ut emat, eum emere non cogat. Tum sic fere pergit: Si is, qui villam nec bonam nec ratione aedificatam tanquam bonam beneque aedificatam proscribit, non fefellisse existimatur; multo

minus is fefellit, qui domum, quam vendit (scil. pestilentem et ruinosam), non laudavit. Sin autem dictum non omne praestandum est, multo minus, quod dictum non est, praestandum est. — Quod igitur supra exemplo demonstratum est, id tum in universum pronuntiatur, ut eadem sit utriusque partis sententia. Cum igitur nulla sit inter utramque partem oppositio, quam inesse in particula sin ex tanto exemplorum numero intelleximus, non ferendum videtur sin, sed in si esse commutandum.

Haec habuimus, quae de particula sin scriberemus. In distinctionis signis interdum ab Orellii ratione discessimus et conjunctionem quum scripsimus cum, quod ab iis, quae discipulos facere semper jussimus, in hoc publico studiorum nostrorum testimonio deflectere nolui-
mus.

Quod si nobis contigerit, ut conscribendo hoc opusculo cuiquam utiles fuerimus, aut certe erit opera nostra probata, pergratum id quidem nobis erit; sin eandem, quam cetera hujusmodi opuscula, fortunam hic libellus subierit, tamen non frustra haec suscepisse nobis videbimur.